

4
OD BONUS ESSE BONUM JUBEAT!

Bono omine

Meliore fato

Optimum, idemque elegantissimum, PAR juvenum

Vir Clarissimus & Excellentissimus

D. ANTONIUS

PRÆSTANTISSIMI VIRI DN.

WOLFGANGI, CIVIS ET

PHARMACOPOEI ULMENSIS PERI-

TISSIMI, FILIUS, RUBERUS, MEDI-

CINÆ DOCTOR:

ITEM

LECTISSIMA

VERONICA,

Viri Nobilis & Consultissimi

Dn. JOHANNIS JACOBI

TAFINGERI, JURISCONSULTI

RAVENS P U R G E N S I S

FILIA

VIRGO à bonorum TRIGA instructissima;

¹⁰/₁₈ d. Novembris.

R A V E N S P U R G I,

ad aram Sacram congregietur, ac fidei conjugialis

dexteras sociabit.

Ei rei calicis firmandæ

FAVTORES, AMICI, AFFINES

Carminibus votivis aderant


Quæ Typis MEDERIANIS exscribebantur

U L M Æ A N N O

Antoulo nVpta est Sponso VeroniCa RVbero;

Tafingerana prognerata DoMo.





Viro Clarissimo,

Dn. ANTONIO RUBERO,
MEDICINÆ DOCTORI EXCEL-
LENTISS. SPONSO &c.

S. P. P.

CHUNRADUS DIETERICUS D.
ECCLESIARUM ULMANARUM
SUPERINTENDENS.



*Servator JESUS, Solymâ qui fertur in
urbe,*

Pro nobis durum cum necis iret iter,

*Linteolo faciem picto impressisse, pe-
plôve,*


In manibus tenuit quod VERONICA suis:

ANTONI, ille TUÆ VERONICÆ haut linteo: at illi

Ipsi ipsam vivam det facilis faciem;

Ac faciat tecum ut jugi concertet amore;

Et referens palmam sit PHERONICA. Vale.



V. CL.

Dn. ANTONIO RUBERO,
MEDICO DOCTORI,

ET

Honestiss. Virgini,

VERONICÆ,

Consultissimi Viri,

Dn. D. JOH. JACOBI TAFINGERI, Jcti,
FILIAE,

NOVIS SPONSIS,

Instante Brumâ Nuptias solenniter
celebrantibus.

Semina Vere novo, memini, RUBERE, serbas
 Permulta, spe sed irritâ.
 Non miror! VENERIS tibi Myrtus floruit Horto,
 Quem suggerit VERONICA.
 Hesperidum superat flores hic Hortus, Amoris
 Amœnitate fertilis.
 Fertilis ut tibi sit, *Neonymphe*, VERONICA, tecum
 Arare nuda gestiat.
 Hoc tibi Virgilius prudenter suggerit: inde
 Rastro solum tu frangito
 Compactum, areolas calido quoque rorerigabis;
 Mox pelle Brumæ frigora

Circa

Circa hyemem fodiendo, serendo, tegendo, per-
ennet.

Æstas ut inde fructibus.

Fæcundo thalamo perpes sic Hortus Amoris
Tibi fit atque conjugii.

Amoris & benev.

Ergo

Iudebat

GREGOR. HORSTIUS D.
Reipub. Ulm. Archiater &
Collegij Medici Director.

Viro Clariss. Præstantiss. Dn.

ANTONIO RUBERO
MEDIC. DOCTORI.

ET

Nobili atque pudiciss. Virgini,

VERONICÆ TAFINGERÆ
NEOGAMIS.

RUBERE, Hygeias & Sophies decus,
Sat lætuosar, sat modò, sat diu
Noctes tulisti, solitatis
In vacuo recubans grabato.

A 3

Pulsis

*Puisis tenebris Phosphorus ortus est
Iam fructuosus, sat citò, sat benè,*

*Dum, Sponse, TAFINGERA nympha
Sponsatum thalamum subintrat.*

*Nempe esse solum non hominem bonum
Scit ipse sanctorum connubij DEUS,*

*Viro viram qui primo in Eden
Pronubus ad sociavit horto,*

*Idem perussit corda reciproco
Amoris estu vestra, & amabilis*

*Vos vinculo perennifirmo
Connubij benè copularvit.*

*Irata non vos fuscet opacitas,
Pacata claret sed magè apricitas.*

*Onus fereendum si quod exstat,
Unanimis scapulis levate,*

*Vestrum opto pactum pro lubio DEI,
Parentium & voto irrevocabili*

*Ratum, satullet copiae cor-
ny superæ Benedictionis.*

Ita vovebat ex animo

JOHAN. HENISIUS PHIL. MED.
D. poliat. Ulm. & P. C.

Nescio

Nescio, qui magnæ Ravensburgæ extet in Urbe:
 Certè ex Ulmana provocat Urbe procos.
 Exinde Antoni non persunctoria cura
 Evigilans Medici rura Alemanæ petit.
 Auspiciis, Rùbere, bonis, & sidere fausto
 Ito, & cum Sponsa festa hilaratus age!
 Atque redi letus: dabitur quod vivere tempus,
 Exige, divina semper adauxtus ope!

Pio affectu sic ominabatur

SEBAST. STROMAYER M. D.
 Ordin. in Patria Rhyficus.

I. BONUM SIT!

Postulat à nostris Spōsus nova carmina Musis
 Musteus, ætatis flōsque, decusque suæ.
 Postulat, & ridet, risus fors auctior esset,
 Pectora ab adversis si mea laxa forent.
 At spes est vultu simulanda, utcunque doloris
 Sensus in astrictos cordis agat thalamos.
 Cur non & versu simulandum? lætius ergo
 Carminis exhibunt volta serena mei.
 Carminis hæc summa est: Quæ primo Gaudia cinctu
 Gaudebunt Sponsi, perpetuata colant.

I. Προφώνησις SPONSORUM mutua
Anagrammatica.

I. Δοτριάδος, ex Prenomine Sponsa.

VERONICA

CARE VNIO.

ENoccedo tibi laribus deducta paternis,
Inque manum venio t nobilis herba tuam.
Herba viget de rore, viget simul unio rore:
Jungimur ut, votis, VNIO CARE, pluit.

† Veronica Chrenpreiß.

II. Νουθετικὸν, ex Prænom. Sponsi.

ANTONIVS.

NON VASTI.

HÆc mihi mens optata! polis hanc imputo
dotem,
Quòd tibi cum forma corda modesta patent,
NON eris ergo mihi fastu damnabilis illo,
Quo regnum VASTI perdidit, atque Virum.

Ita ludebat, affectu optimo

Δοτριάδος

M. JOH. BAPT. HEBENSTREITT,
Augustanus.

ANTONI

7
ANTONI, tibi mensis est NOVEMBER
Signandus niveo probè lapillo.

Nec, puto, est opus hinc & inde causam
Longè arcessere, cur tibi NOVEMBER
Ex quater tribus, unus ille mensis
Signandus niveo fiet lapillo.

SIGNA nunc duodena bis peregit
PHŒBUS mundi animus, bis & comesta est
Planipes avis, illa Pliniana
Ganza, purpureo rigata musto.
Quum PALLAS tibi purpuram GALENI
(Hoc præsens oculis meis notavi.)

Ritu & more sacro sacraret, atque
DOCTOREM auspiciis bonis salutans
Te pulcro allegeret choro MEDENTVM.

Donum hoc Palladis est, quod in NOVEMBRI
Donavit tibi liberale mense,
Quamvis ingenij labore partum.

Eodem tibi mense jam NOVEMBRI
Nil concedere Palladi volentes
JUNO atque alma Venus jugant puellam,
Ac dicant propriam tibi puellam,
Tasingeriaci satùs puellam;

Quà nil est probius, pudiciùsque,
Quà nil pulcrius est venustiusque
Quis mensem ergo probè quis hunc NOVEMBREM
Signandum niveo neget lapillo?

IPSE ceu tibi gratulatus olim

DOCTORIS titulos sui, RUBERE,
 Versu, quamlibet inficetiori:
 Sic Versu quoque grator Hymenæum,
 Ac novi thalami novos honores.

SINT fausti thalami novi illi honores,
 ANTONI, BENE SIT TIBI TUÆQUE:
 Sit vobis bene compares novelli:
 Sit vobis bene mustei mariti,
 Primo ac tempore vos reseminate,
 Et pullos generate masculinos,
 Et pullos generate foemininos,
 Qui vosmet referant, patrésque vestros,
 Exemplaria vestra nam relinqui,
 Quum vos florida faustitas Hygeie
 Et Forma ac Probitas decoret ambos,
 Certum est posteritatis interesse.

A D F E C T U S . N E O G A M O R U M

è Cabala Lycophronis expressus.

I. SPONSI detectus SPONSÆ

ANTONIUS *μέταγαγαυα*. NOS UNIAT.

UNUS eram: unus ero: quævis tibi jungar, & unus
 Tecum unâ videar constituisse Duo.

Unus ero uno animo tecum, VERONICA, & unâ,

Vniet amborum quæ duo corda, FIDE.

Vna Dei proles nos uniat: uniat ambos,

Vnica qui NATRESTUNIO, qui que PATRIS:

Ac velit, ut seros hæc unio duret in annos,

Aevi quam valeat solvere nulla dies.

II. SPONSÆ, detectus SPONSO,

I. VERONICA ἀγάπη. EOVINCAR.

Non procus unus erat, nostros qui ambivit amores,
 Ac voluit mecum fœdus inire tori.
 Tentârunt frustra thalamumque fidemque jugalem:
 Atque animum potuit vincere nemo meum.
 Sed postquam ANTONII vultus atque ora RUBERI
 Possè videre datum est, dixi ego. VINCARE EO.

II. VERONICA ἀγάπη. Ineocura,

Unus è multis mihi cura erit una RUBERI:
 Postque Deum est in eo spes mea tota sita.

III. VERONICA ἀγάπη. Ero unica.

Pectora nostra uno duo glutine junxit Amoris
 Summi Patris Amor, nostri & Amoris Amor.
 Hinc ita te, ANTONI, me ut semper amabis, amabo:
 Unicus & mihi eris sic: tibi ut unica ero.

IV. VERONICA ἀγάπη. Veni caro.

O SPONSE care, cara
 Veni caro, atque caram

Tibi require Carnem;

Gen. 2. Carne à tuâ recisam;

ŷ. 23.

Costâ à tuâ revulsam.

VENI caro: caro illa

Tua est mea: illa pars est

Carne à tuâ recisa,

Costâ à tuâ revulsa,
 Rarsus suoque TOTI
 Uniter cupiscit.

VENI caro, meamque
 Ama fovèque Carnem.
 Tua est Caro illa: Carnem
 Odio est habere visus
 Nemo suam: suam sed
 Nutrit fovètque Carnem.
 Ut ergo temetipsum,
 Sic, SPONSE, tu me amabis:
 Reciprocato amabo
 Amore te, nec unquam
 Meam odero ipsa Carnem:
 In Carne quamdiu esse
 Me sirit ille, nostram
 Qui pro salute nostrâ
 Indutus ipse Carnem est.

Bohes. 1.
 v. 29.

V. DAFINGERIA ἀγαρ. Fida regina.

Qua prestare solet regi regina fideli:
 Hæc prestabo meo fida marita Viro.
 Ergo vi amat regem regina colitque, facitque,
 Quod gratum regi noverit esse suo:
 Sic ego amabo meam studiosa marita maritum:
 Ejus & in cultus officiosa ferar.

EPIGRAMMA GERMANICUM

αὐτὴν κατ' ὄψιν.

L In RVB in einer werthen Statt/
 Gewachsen ist für Jahren:
 Dieselbige ein Gärtner hat/
 Weil er sie wolt verwahren/
 Versetzet mit glücklichgr Hand/
 Daß Ihm ist wohl gelungen/
 In einen andern Ort vnd Land/
 Darauf viel Frücht entsprungen.
 Die Früchte wohl/durch Götts gnad
 Gerathen seind im Garten:
 Dann man derselben früe vnd spaz
 Mit allem fleiß thun warten.
 Derselben Früchten Eine wurde
 Jetzt widerumb versetzet/
 Vnd in ein ander Land p'antirt/
 An dem sie sich erget.

Der Himmlisch Gärtner gnad verleiß/
 Vnd gebe seinen Segen/
 Damit die Pflanzung wohl geden/
 Vnd diese RVBE möge
 Besamen sich in andrer Erd
 Vnd andre RVBE bringen.
 Wer dieses wünschet vnd begert
 Sag Ja/ es soll gelingen.

In honorem Dni. Sponsi ad finis jucundiss.

L. M. que Facieb.

M. JOH. PHILIPP. EBELIUS GISS.
 Scholæ Ulmanorum Rectorac
 Profess. publ. P. C.

Ergo etiam, RIEBERE, rogas me carmē, amice,
 RIEBERE ô! Medici portio pulcra chori?
 Et petis, & fas est, & debeo cuncta petenti,
 Meque, lubens fateor, polliciti esse reum.
 Carminis at modò quid cātē, quod possiet aureis
 Et mulcere, quòd & cōr penetrare queat?
 Virgineos aureis modillos audire suētas,
 Spiclo transfixum corque Cupidineo.
 Scilicet haut nostris; nec, n. nego, tanta Camænis
 Gratia inesse potest, nec lepor esse potest,
 Vincere quæ valeant venientes ore loquelas
 Virgineo tinctas nectare & ambrosiâ.
 Sed neque carminibus sanari vulnera amoris
 Exemplo docuit ipse Apollo suo,
 Ille pater Vatum, Medicæque inventor & autor,
 Gloria quæ vestra est, artis Apollo bonus,
 Quando suam Daphnen præ cūctis coepit amare,
 Estque Polum visu postposuisse solo:
 Tunc nil iuverunt Musæ, nil carmina amantem,
 Nec curæ cantus, nec cithara ipsa fuit.
 Hujus ad exemptum, vestræ ceu præsidis artis,
 Cùm, RUBERE, sis, captus & ipse quoque
 Nomine dissimilis non multum, ast ore puellæ
 Quæ referat Daphnen, maxime Phoebe, tuam,
 Ravenspurga tulit quàm nobilis, iater & ipsas
 Vrbes Imperij quæ caput exeruit,

Patre fatam, claro, Iurisque antistite & æqui,

Qui DAPHNERI nomine ubique cluet,

Istius cum sis, inquam, RIEBERE, puellæ.

(Fato ita, quis dubitet? nempe volenté tuo.)

Blandiciis, formâ, pulcris & captus ocellis,

Quales vix Daphneri quondam habuisse putê,

Hincque tuo data sint gratissima vulnera cordi;

(Namque habet hoc mali Amor sic malum a-

REOMANI mare suum.)

Nunc agitas aliud nil, & nil corde volutas,

Vulneribus medicas quando adhibere manus;

Cumque tibi, promissa decens jam sit medicina,

Quæ sanet cordis vulnera sola tuo,

Non tantum, RIEBERE, dies, sed singula puncta

Horarum, veniat dum hora cupita, putas:

Interea versasque animo, recolisque venustos

Sermones, verba ac singula blandidula,

Enumeras risus, gestusque gravemque recenses

Incessum, numeras singula basiola,

Hisque moram, sit parua licet, solaris, & omnem

Magno emptum reputas, que perit hora, lucrû.

Hinc, quid agam, dubito, RUBERE: tuosne Ego a-

mores

Carmine describam? Res gravis ista nimis,

Et tamen hoc facerem, tua si, quâ pollet, Amica

Gratia verborum mi foret atque lepor.

At fileam? officium haut fecisse videbor amici,

Promissi oblitus dicar & esse mei.

Sed modò quid faciam succurrit. Namq; tacebo
 Non totus, sed nec carmina multa dabo,
 Ne forsit blandos, quos tu meditaris, amores
 Conturbem & cordis dulcia colloquia,
 Ne vè domi te, cùm mente exspaciare cum amica,
 Invitum longo carmine detineam:
 Sed mea versiculis fas sit concludere senis.
 Ex animo tibi quæ nunc pia vota fero.
 QVAS. DEUS. IN. VESTRIS. FLAMMAS. ACCENDIT. AMORIS
 CORDIBUS. ILLE. ETIAM. PERPETUO. FOVEAT
 HUIUS. ET. INDICIUM. SCINTILLAS. SPARGAT. IN. ORBEM
 USQUE. NOVAS. FLAMMAS. QUÆ. REPARARE. QUEANT
 ILLE. ETIAM. CUNCTIS. VOS. DITET. SEMPER. UBIQUE
 AFFICIATQUE. BONIS. ATQUE. SOLI. ATQUE. SOLI

Ita animitus vover

JOH. GEORG. Styrbell.
 AUGUST.

F I N I S.

In Titulo lin. ult. legend. pro prognerata:
 qVæ generata.